27

THESES MEDICÆ
DE
TREMORE
à
CESSANTE SCABIE,

FAVENTE DEO,

Consensu Inclyti Medicorum Ordinis in Illustrì Academia Eberhardina,

PRÆSIDE

DN. ELIA RUDOLPHO CAMERARIO, PHIL. & MED. DOCT. AC PROF. PUBL. ORDIN. CONSIL. ET ARCHIATRO WURTEMBERG. h. t. FACULTATIS MED. DECANO,

Publicæ Philiatrorum Ventilationi submissæ,

à

FERDINAND-GOTTLIEB SCHMELTZ, Lommatziâ Misnico,

die 13. Octobr. in Auditorio Medico

Horis antemeridianis.

TUBINGÆ,
Typis MARTINI ROMMEII, 1688.



HISTORIA MEDICA.



Edicus vocatur ad *juvenem* 24. circ. annorum, qui opificio victum quærebat & usum ipsius cum ulteriori cognitione sibi comparare studebat, toto corpore insigniter *trementem*, valdè anxium, lassum, debilem, neque calidum neque frigidum nimis: Sciscitans artificiosa prudentia de talibus qualia ad cognitionem & curationem desiderabat, percipit ipsum aliquamdiu laborasse *Scabie* crustosa multis ac insignibus pustulis molesta, subitò autem absque ulla manifesta causa tumidas partes subsedisse, exsiccatas crustas decidisse, pustulas effuso puriformi humore evanuisse, cuticulam & cutem reticulatam, elevatam induruisse, & illâ detractâ solas remansisse maculas, inæquali corporis habitu in æqualem mutato; Mox nares, tempora & verticem cum cervice conspergi *Elixire Vitæ* curat, exhibet *pulverem* sequentem cum vehiculo.

℞. *Pulv. Pannon. rub.* ℈j.
Epil. March.
mirabil. Mynſ. ana ℈ß.
M. F. pulv. D.

℞. *Aq. Cerasor. nigr.*
acetosæ ana ℥ij.
cinnam. bugloß.
Syr. Pæon. an. ℥ß.
Conf. Alkerm. compl. ℈ij. M. D. S.

Wasser davon mit dem Pulver 4. auch sonsten öffters ein paar Löffel voll zu nehmen.

 Injun-

Injungens, ut Sudor excitetur, linteis calidis prudenter abstergendus; Serenior ab isto sudore est animus ac dictæ molestiæ pacatiores, à somno tamen, cui se tradebat, sæpiùs per terrorem & membrorum desultoriam jactationem sive concussionem revocatur. Assumit ex Consilio Medici *Extr. Papaver. err.* & *theriac. cœlest.* ana gr. iij. in pilularum formam radacta, unde recolligens vires, suo iterum opificio navat operam. *Redit* denuò *tremor* cum dictis sociis & ab exhibitis jam dictis iterum fugatur; ut autem non solùm malum præcaveatur, sed & quæ supererat lassitudo levis & ad labores graviores ineptitudo auferatur, urgenti ægro præscribit Medicus sequentia.

℞. *Corn. alc. phil. calc.*
cerv. phil. calc.
ungul. alc.
ebor. phil. calc.
ocul. ♋.
Succin. ppt. an. ʒiij.
Cinab. nativ. ʒj.
Tabul. manus Christi perlat. ℥iß.
M. f. pulv. divid. in 60. part. æqual.
Detur ad 60. distinctas chartas.
Sign. Pulver darvon Morgends um 6. und Abends um 4. Uhr allezeit 1. zunehmen.

℞. *Aq. Scorzoner.*
Senec.
Cerasor. nigr. an. ℥ij.
Syr. rub. Idæi ʒvj.
M. D. ad Vitr. Sign.
Wasser darvon mit dem Pulver allezeit 4. Löffel voll zu nehmen.

Hora antemeridiana nona hauriat, quamdiu pulvere utitur, jusculi *rad. Scorzoneræ, foliis nasturtii aquatici* &

fra-

fragariæ ana recentibus alterati calidi ℔ß. ſuaſit ſimul Medicus ut vino uteretur modicè, jungeret ipſi Decoctum ordinarium ex *Viſco querno C. Cerv. uſto & ſemine fœniculi* cum *aqua fontana* paratum, abſtineret à cibis & condimentis nimis acribus, à frixis, ab ira, ac aliis vehementioribus animi commotionibus & tandem, ſi per rationes œconomicas licuerit, æſtivo tempore *Acidulis* uteretur; quæ ſingula cum effectui dediſſet æger, liber ab omnibus iſtis *per DEI gratiam* plenè convaluit, pancratica gaudens ſanitate.

Σὺν Θεῷ.



ANimus erat *Caſum hunc Medicum* ab Excellent. Dn. *Præſide* mihi communicatum quâ Theoriam & Praxin prolixiùs exponere & publicæ luci ſiſtere. Verùm, cùm ob rationes partim publicas partim privatas citatum iter in patriam ſuſcipiendum mihi ſit, breviſſimas pro ratione temporis lineas ducere & pro edendo publico ſpecimine ventilandas proponere conſtitui; DEUS aſſiſtat huic meo conatui.

THESIS I.

QUa *Ideam* Tremor hic conſideratus dicit Symptoma actionis animalis læſæ, Motus videlicet: Contingit hîc, ut ſæpius alias, complicatio læſarum actionum, cernere quippè licet actionem imminutam ac depravatam una concurrentes in hoc ipſo affectu. Motum Spasmodicum Tremorem in genere dicere non poſſumus, cum formale ſpaſmi, conſtrictio nempe convulſivà abſit in ipſo generaliter conſiderato. In hoc Caſu aliquid ſpaſmodici concurriſſe Terror & membrorum deſultoria jactatio ſeu concuſſio innuunt.

II.

Subjectum Paſſivum dicimus totum corpus, pleraſque ejus partes, potiſſimùm ſpecialius muſculos horumque

que fibras carnosas motui dicatas. *Subjectum Causale* potissimum est M. S., ut & suo modo variæ imò omnes corporis partes solidæ.

III.

Causa Proxima est fibrarum musculosarum perversa inæqualis, irregularis, inordinata à spiritibus animalibus inflatio, actuatio, accedente illarum laxitate, non tamen absque omni præternaturali irritatione tensiva. Inducitur talis inflationis sive actuationis inæqualitas ac inordinatio *partim* à succo humectante, laxante, pororum regularem ac proportionatam aperturam impediente, pervertente, *partim* à spirituum animalium dyscrasia textura à st. naturali deviante.

IV.

In specie, quî *à Scabie* retrogressa, aut prout hîc, *cessante*, oriri soleat tremor inquisitione dignum est. Credunt *Potissimi* à palindrome humoris exulcerantis, à retrogressu particularum acidarum, alcalinarum, aliarumve heterogenearum excernendarum ad interiora oriri non rarò Tremorem; De *viis* si quæritur, monstrant venas, vasa lymphatica, nervos, corporis vivi ejusque partium patentes poros.

V.

Nos utut largiamur, aliquando à regressu particularum exulcerantium universalem totius corporis contingere posse Tremorem, potissimum tamen *hîc* accusamus M. Seæ texturam subitò immutatam, inversam quasi, uno verbo, cruditatem ejus, sive talem conditionem per quam ea incipit esse inepta ad defæcationem & despumationem illarum particularum, quæ per conatum naturæ depurantis expellentis antea secedebant.

VI.

VI.

Hanc cruditatem aliàs in febribus toto die, in chronicis morbis non raro obviam Practicus observat facile; Loquuntur eam exempla è macrocosmo petita, sic e. gr. vinum l. leviori Igni subjectum suppeditat Spiritum; Mustum vero etsi centies subjiciatur igni, ejusmodi oleosum ardentem spiritum nunquam dabit, cum in musto particulæ nondum sint aptæ secretioni nec dispositæ ad qualemcunque secessum; Non absimilem rationem M. S. esse in nostro casu nobis videtur.

VII.

Medicus *Curam* hujus mali instituens & indicantibus opponens indicata, fibras musculorum naturali, debitæ tensioni restituere, serum, humorem humectantem, relaxantem imminuere, absumere, corrigere, spiritus animales desciscentes vigori pristino reddere, vias leviter obstructas reserare, compressas ab onere liberare, angustatas dilatare, particulas quascunq; heterogeneas nocivas invertere, absorbere, emendare, hocque ipso regularem, blandam & moderatam spirituum animalium undulationem procurare studuit.

VIII.

Arma pro indicatorum horum executione deprompsit è fonte *Pharmaceutico* talia, quæ per glandulas, subcutaneorum vasorum oscilla varias peregrinas atomos educunt, fibras musculorum à relaxantibus, heterogeneis, irritantibus liberant, & ipsam causam, peregrinos ac sylvestres sapores M. Seæ. alterant, immutant, in aliam texturam vertunt.

IX.

Præscripsit *in paroxysmo* Nervina, Cephalica, spiritibus animalibus robur afflantia, ipsos suscitantia, colligentia, anti-

antiſpaſmodica junctis potiſſimum abſorbentibus; *Extractum papaveris erratici* ut & *theriacam cœleſtem* non ſine ægri emolumento exhibuit ad ſpirituum motum confuſum irregularem placandum ac compeſcendum. *Malum ut præcaveretur*, ſuaſit *Corn. alc. Corn. Cerv. phil. calc. ungul. alc. Ebur. ocul* 69 *præpar. ſuccin præpar. & Cinab. nativ.* quæ ſingula medicamenta ultra ventriculum ſuas exerunt vires nec intentionaliter aut idealiter ſaltem agunt, ſed tenues penetrantes, invertentes, abſorbentes, M. Seæ communicant particulas, & ita varios corporis p. n. humores emendant, corrigunt, cum contentis immutant. *Iuſcula* alibi jam commendavit & ab injuriis vindicavit Excell. *Dn. Præſes.*

X.

E Fonte *Diætetico* optimè *Vini* parcus uſus injunctus fuit, & abſtinentia ab ira; Ira enim & vinum familiariter Tremorem gignere ſolent. Potus ordinarius ex decoctis in aqua *Viſc. quern. C. C. uſt.* & *Sem. fœnicul.* in affectibus nervinis multum juvat. Acidularum interior uſus in genere non omni conducit tremori: Hîc cur profuerit? facilè ex dictis patet. Tantum pro ratione Inſtituti.

DEO SIT LAUS ET GLORIA.

